

propter virium etiam in partes orbiculi exteriores ad valvulæ marginem defigendas adhibeat, atque adeò priorem suum conatum ipsemet iterum cohibeat: *Secundò* quòd & pauculus ille qui in tubulo remansit aër (nec enim omnis uno momento per tantam rimulæ angustiam elabi potest) &, qui per orificium B circa margines globi non arctissimè id explentis interea subrepat, aliquà saltem resistentia intrusionem illam orbiculi moretur. Superans ergo sic aër orificium B circumstans, globulum plumbeum per tubulum B A liberè mobilem violenter protrudit, & accelerato deinceps intra tubuli hujus angustiam impetu (dum interea pars aliqua subrepens circa globi margines hunc antevertendo coriaceum orbiculum amovet, externo aère circa orificium A nunc eò faciliùs cedente, quòd per circulationis viam in locum aëris B per tubulum irruentis valeat succedere) per orificium A explodit; majore multò vehementiâ, nec sine fragore, hoc facturum, nisi aër oppositus in A, tametsi cedens, satis validè tamen utrumque sufflaminaret.

VIII. Id quod vel hinc facilè conjicimus, quòd in alteris istis casibus, cum vel globus plumbeus intra orificium B arctissimè coactus esset vel clavus capitatus eidem ita insertus, ut aëri subrepturo via omnis esset præclusa, ex opposito aër circa orificium A, tum prævalens, orbiculum coriaceum cum crepitu notabili intro adegerit: quia nimirum intra tubulum resistentiæ multò minùs offendebat. Est autem de cætero ex hætenus dictis haut obscurum, puto, ad imminuendam porrò illam aëris orbiculo coriaceo incumbentis resistentiam nonnihil facturum esse, si orbiculi amplitudo foramen ipsum non multum superaret, siquidem aliàs cylindro aëreo multò spissiori eo qui per tubulum ad B irrumpit, basin præbet, roburque adeò multò majus conciliat: quem admodum ex opposito metuendum est, ne intra tubi cavitatem intrudatur orbiculus, vi eorum quæ paulò superiùs diximus, si minor justo ejus amplitudo fuerit. Deinde verò &

Causa 1. &
2. Phæn.